DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

UTERI CARCINOMATE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

UTERI CARCINOMATE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS EDVARDUS FAIRBANKS,

EX NOVA SCOTIA;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1821.

PATRI

HONORATISSIMO ET CARISSIMO

RUFO FAIRBANKS,

ARMIGERO,

EX HALIFAX IN NOVA SCOTIA;

MILITIÆ DOMESTICÆ PRÆFECTO;

NECNON

FRATRI

OPTIMO ET DILECTISSIMO

CAROLO R. FAIRBANKS,

ARMIGERO,

IN EADEM URBE

JURIS CONSULTO;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

DEDICAT

AUCTOR.

GULIELMO P. LAUDER, M. D.

COLL. REG. MEDICORUM EDINENSIS

SOCIO;

DE ARTE OBSTETRICA,

ET DE MORBIS

QUIBUS MULIERES ATQUE INFANTES

OBNOXII SUNT,

PRAELECTORI;

SUB CUJUS AUSPICIIS,

HAEC STUDIA EDINBURGI PROSECUTUS EST;

HANC DISSERTATIONEM

SUMMAE OBSERVANTIÆ

ET AMORIS

TESTIMONIUM

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

UTERI CARCINOMATE.

AUCTORE GEORGIO E. FAIRBANKS.

Ex plurimis, quibus obnoxia est gens humana, morbis, nullus meliore jure medicorum studium sibi vindicat, quam Carcinoma. De curatione ejus multum diuque disputatum fuit, et adhuc disputatur; quinetiam, remedia multa et varia diversis temporibus proposita sunt; omnia autem (praeter partis excisionem) vana et inutilia esse videntur. Id autem quod uteri cervicem afficit, adhuc insanabile creditum fuit; itaque ad dolores leniendos tantum, medici operam dederunt. Hoc libello igitur ma-

lum non insanabile esse ostendere conabor, remediumque proponere, quod nuper in nonnullis aegris, haud parum utile ad morbum tollendum inventum est. Pauca tamen de morbi signis, diagnosique prius dicenda sunt quam ad curationem ejus veniamus.

Carcinoma igitur cervicem uteri paulo minus frequenter quam mammas afficit; omnibusque aetatibus inter annum vicesimum sexagesimumque commune est. Nihilominus tamen saepius accidere videtur inter annum quadragesimum et sexagesimum, rarius inter trigesimum, et quadragesimum, et vix aut ne vix quidem, post sexagesimum. Mulieres, ac virgines, eaeque infelices, quae quaestum ex corpore faciunt, huic morbo pariter obnoxiae sunt; neque saepius accidere videtur iis quae liberos pepererunt, quam quae steriles fuerunt.

Morbus autem, si nondum desierunt menstrua, interdum incipit ab aliquo eorum vi-

tio; haec majore copia saepiusque accedunt, diutiusque solito perstant; interdum jactura ingens subitaque sanguinis ex vasis uterinis terret; et humor sanguinolentus, quem dolor comitatur, post coitum fluit. Si vero menstrua desierunt, saepe est profusio sanguinis, quae paucos dies perstat, tunc finitur, iterumque post mensem recurrit; idque tam ordinatè fit, ut foeminae credant menstrua rediise. Alias autem hoc profluvium non nisi per intervalla occurrit, animique affectibus movetur. His signis brevi accedunt sensus proprius et irritabilitas intestini recti et vesicae, cum tenesmo, dysuriâque; sequuntur haemorrhoides; mammae durae et amplae fiunt, doloribusque vagis afficiuntur. Accedit quoque fluor albus foetidus et abundans, vel fluxûs hujusmodi suppressio, qui priusquam se ostenderat. Post haec oriuntur dolores pungentes, acutique ad cervicem uteri, inguinaque, et coxas, quos comitatur sensus molestiae ad coxas, regionesque lumborum, et hypogastrium.

Si cervicem uteri digito exploramus, eandem praeter naturam mollem ex toto vel in quibusdam locis solummodo, in aliis autem duram esse invenimus. Os ejus quoque magis solito hiat, et inaequale est; idemque, quod statu sano, vix vel ne vix quidem, pressurae sensibile est, inter digitos compressum, humorem sanguinolentum effundit. Hic fluxus quoque coitu inducitur, brevi spontaneus, perpetuusque evasurus.

Inter initia morbi igitur, talia signa sunt, durare etiam possunt per aliquot menses, neque possumus pro certo affirmare carcinoma esse, eo quod multos alios morbos comitari possunt. Brevi autem, signis ingravescentibus, dubitatione liberamur. Si carcinoma cervicem uteri primum afficit, ut plerumque solet, superficies ejus fimbriata inaequalisque et sanguinolenta fit, levique tactu dolet. In vaginâ interdum plures sunt plicae validae et crassae, quae viam tam arctam reddunt, ut digitus in eam vix insinuari possit. Sin autem est pars interior, quae

primum dolet, signa diversa oriuntur. Uterus fere multum in magnitudine augetur; exulceratio ad cervicem nulla est; sensus doloris, ponderisque, et molestiae ad imam vaginam rectumque sentitur; dolores ad cervicem ejus augentur, pressurâ quoque multum intenduntur, et ad inguina, coxas, lumbos, et rectum tendunt; denique inter urinam, menstruaque reddenda, (quorum frequentia, copiaque, et duratio semper varia sunt) dolores sentiuntur.

Morbus primum in parte solum est, brevi vero se ostendunt signa diathesis (ut dicitur) schirrosae. Marcescit aegra pallescitque; maculae parvae et caeruleae in facie, praesertim quibus color pulcher est, oriuntur; musculi flaccidi fiunt, et functiones omnes multum impediuntur. Aliis alvus pertinaciter astricta est, aliis diarrhoea molesta, quam comitantur dolor vomitusque. Somnus est difficilis, brevis, saepeque doloribus, affectae partis, acerrimis impeditur. Accedunt crebrae accessiones febriles, doloresque ad sac-

rum lumbosque, modo acuti, modo obtusi, interdum usque adeo augentur, ut ex toto impediant ne pedibus insistat aegra, vel ambulet; quinetiam conatus ad hoc syncopen movere solent. Hoc tempore morbi moriuntur plures: aliae ex haemorrhagiâ vel peritonitide; aliae ex febre putridâ, vel ex convulsionibus, quas excitare videtur dolor vehemens. Sin autem morbus non statim interimit, signa pejora pejoraque fiunt. Membra inferiora oedemate corripiuntur: sanies nunc, si modo id non antea advenerat, putrida fit, et saepe cum se, copiam sanguinis grumosi et nigri, vel materiae putridae, quae ex parte exulceratâ provenire videtur, educit. Ulcus brevi ad vesicam, intestinum rectum, partesque vicinas tendit; urina et dejectiones in vaginam effunduntur, ibique cum sanie materiâque putridâ commiscentur. Hoc statu misero, summâ munditiâ ex toto impedire non possumus, quominus gangrenâ corripiantur genitalia et sacrum, quae cito serpens, brevi finem aegrae cruciatibus affert.

Duratio morbi varia est. Interdum mensibus quinque vel sex omnia stadia diversa percurrit; interdum rursus accidit, ut haec, non nisi p ot totidem annos, finiantur. Signa quoque multum variant. Sunt quae, protinus ab initio sensum quendam proprium habent, qui eas in eâdem corporis positurâ diu manere non permittit; habent quoque cibi insuperabile fastidium, melancholiam fixam, dolores corporis vagos, functionesque omnes laesas; neque causam detegere spossunt, donec vitium uteri se ostenderit, vel ex suppressis menstruis, vel ex fluore albo foetido et copioso. His accedit dolor uteri vehemens, qui saepe convulsiones vel febrem putridam excitat, haeque aegram brevi tollunt, etiamsi uterus vix exulceratus sit, et foemina adhuc habitum corporis pristinum et robustum conservat. Aliae quoque sunt, quae omnem maciei modum subeunt, et moriuntur ex marasmo; idque accidit ubi nulla alia morbi signa habuerunt, praeter saniem foetidam, sensumque incommodi et tabem. Plures cibi desiderium non

amittunt usque ad paucos ante mortem dies, neque somno unquam deseruntur, etsi, corpore post mortem adoperto, invenimus cervicem uteri, ab omni parte vitiosam, et in putredinem conversam.

Menstruorum vitium autem, non semper gravitati morbi respondet; siquidem modo sunt jacturae sanguinis subitae et terrentes; modo nihil tale accidit; et menstrua fluunt ut, valetudine integrâ, solebant. Atque hoc quidem non raro fit, ubi cervix uteri ex toto deleta est. Quaedam foeminae hoc tempore etiam desiderio veneris immodico tenentur. Ex hoc quoque scire possumus morbum non esse contagiosum: quia ex exemplis non paucis virorum, qui cum foeminis, hoc morbo affectis, rem habuerunt, nemo morbum contraxit. Unus solus eruptionem levem ad glandem penis habuit, quae post paucos dies abiit, sicut eruptiones quae ex coitu cum foeminis, fluore albo affectis, orri solent.

Hoc Carcinoma autem fere semper ad cervicem uteri incipit, et raro ad partem visceris internam. Est interdum tumor schirrosus, qui brevi in carcinoma mutatur, et in quo post mortem videtur, vel materia vera schirri, vel materia cerebriformis, vel utraque simul. Haec materia quoque cum fibris uteri intermiscetur, nunquamque in massam coit, sicut in reliquo corpore solet. Ubi tumor mollis est, natura ejus facile dignoscitur, quia ex pressurâ humor albidus, parum tenuis, ac similis eidem materiae aliarum partium, ex eo exudit. Saepius vero est morbus primarius, et similis morbo cutis, quem noli me tangere vocare solent. Sub hoc, fibrae ipsius uteri exulcerantur, et granulationes carnosae, colorisque nigri, albidive aut violacei, neque raro aspectus spongiosus vel putredo cinerea videntur.

Ut procedit morbus, gravior graviorque fit, ulcusque augetur. Aliae moriuntur ubi exulceratio solummodo parva est. Aliae autem per magnae partis uteri, vaginaeque, et

recti, destructionem trahuntur. Ubi tamen hoc accidit, materia cellulosa pelvis, morbo indurata, et peritoneum tantum impediunt ne viscera erumpant, sinusque formatur, ubi coeunt, sicut in cloacâ, urina, stercus, pus et similia. Atque haec quidem sunt morbi summa. Substantia uteri ipsius, paucis, a parte affectâ, lineis, sana esse videtur. Ab interiore parte, uterus modo est tumidus, lividus et humore viscoso obductus; modo quasi siccus et coloris nigri vel cinerei. Ubi morbus a parte interiore incipit, visceris magnitudo augetur, laminaque spongiosa est duplo crassior partibus quas obducit. Os tincae extrinsecus nigrum est vel lividum, intus autem crassum fit et habet speciem adiposam. Glandulae inguinales sub hoc morbo raro afficiuntur.

His igitur propositis, quae ad morbi signa pertinent, proximum est ut de iis morbis, qui Carcinoma simulare possunt, dicam. Tales sunt.

Fluor albus copiosus et foetidus, quem comitantur dolores abdominis, tabesque. Hic morbus non semper per manum dignosci potest, (praesertim si adsit aliquid menstruorum vitium) propterea quod, pluribus foeminis, uteri cervix, naturaliter est ampla, tumidaque, et os inaequale habet. Tempus solum igitur, et solatium, quod praebent medicamenta, nos de morbo certiores fieri possunt.

Uteri incrementum longum non raro accidit, incipitque ab iisdem signis, quibus Carcinoma, et per menses duos vel tres, vel etiam per totidem annos perstare potest. Plerumque autem feliciter desinit, neque unquam, ut dicitur, in Carcinoma abit. Ad curationem ejus multum valent sanguinis missio, corroborantiaque et exercitatio. Morbus afficere potest totum uterum vel partem ejus solum. Ubi ad cervicem ejus incipit, haec praeter solitum, ampla et mollis fit, interdum quoque calidior partibus vicinis; summum ejus plerumque est laeve et aequale;

interdum tamen ibi granulationes parvae videntur, et semper pressuram sentit. Ubi autem inflammatione corripitur totus uterus, fundum ejus, manu ad hypogastrium admotâ, sentire possumus. Quod si comprimimus eandem regionem, iliacasque, plus minus doloris excitatur. Denique morbus frequenter se ostendit in iis foeminis quae articulis dolentibus obnoxiae sunt.

Corpora fibrosa in utero genita, interdum haemorrhagias movent, sed raro sanitatem afficiunt. Notatum est in quibusdam exemplis, uterum tumoribus hujusmodi repleri, magnitudinemque ingentem adeptum fuisse; sic tamen ut foemina nunquam haec conquesta, alioque morbo mortua sit.

Polypi, ubi in cavo uteri innascuntur, eumque quodammodo distendunt, profusiones sanguinis aliasque varias excitant; interdum quoque eos comitatur cervicis mutatio, quae Carcinoma simulare potest. Haec autem discernere non multum interest, eo quod,

ubi excidi non possunt, ad curationem palliativam confugiendum est.

Ulcera ex variis causis externis orientia, interdum ad cervicem uteri se ostendunt; per aliquandiu Carcinoma simulant, deinde sanantur. Quae autem a veneno venereo nascuntur, parva et albida sunt; excitant quoque dolores acutos, pungentesque partis. Morbus contagio communicatur, hydrargyroque expugnatur.

Atque haec quidem morbi praecipui sunt, quibuscum confundi potest Carcinoma cervicis uteri, itaque ad hujus curationem nunc transeundum est.

Hanc igitur, si scriptores consulimus, manifestè videbimus, ex toto palliativam fuisse, adque dolores mitigandos, signaque prout oriuntur levanda, restrictám. Ubi autem arcessitur medicus, his signis laboranti, primum se certiorem de morbi naturâ facere debet, utero per vaginam explorato. Foemi-

nae multae, hâc regione praesertim, propter falsum pudorem, ne hoc faciat timentes, medicum non raro decipiunt ; igitur ut hoc caveat, et quam primum morbi naturam percipiat, necessitudinemque examinationis firmiter suadeat, opus est : ideo quod, non nisi ubi recens est, sanari potest. Hoc morbo igitur dubitare, atque ita malum producere nunquam debemus, et si remedium afferre volumus, mature facto opus est.

Si dolores ad regionem uteri vehementes sunt, pulsusque durus et frequens, hirudines vel cucurbitulae cum ferro, ad coxas internas, labiaque pudendi admotae, solatium non raro praebent : sin vero plenitudinis nulla sunt signa, nocent. Dolores quoque leniunt injectiones emollientes ; quales ex decocto malvae, amylo, furfure, et iis similibus confectae sunt. His adjici potest paulum opii. MORGAGNI celeberrimus laudare solebat opium lacte solutum, atque ita inditum. M. FOURCADE autem dicit se vidisse guttas quatuor vel

quinque acidi phosphorici cum multo humore admistas, plus solatium laborantibus praebere, quam ceterae omnes injectiones. Ubi sanguinis fluxus copiosi sunt, injectiones adstringentes admoveri debent. Injectiones non parum prodesse videntur, propter munditiam, quae aegris ex omnibus morbis, atque adeo sanis tam necessaria, grataque est.

Quod ad victûs genus autem, multum discrepitant sententiae; alii diaetam ex lacte, et decocto sarsaparillae laudant; aliique aquosam. Ut signa morborum varia sunt, sic varia esse haec debet. Ubi signa plenitudinis sunt, vel ad eam proclivitas, diaeta tenuis et exigua esse debet; contra, si imbecillitas urget, plenior: corroborantia quoque medicamenta interdum idonea esse videntur. Si vero morbus jam gravis est, et ad exitum infelicem spectare videtur, tum ad dolores leniendos, vitamque aegrae reliquam, quam maxime tolerabilem, reddendam conandum est. Neque quidem medici benigni

et misericordis est, aegram ex toto unquam renunciare, siquidem consilium ejus, et praesentia laboranti semper grata erunt, tamenetsi morbum tollere non possit.

Excisio uteri cervicis, diu impossibilis credita, vel propter alias causas interdicta, nuper tamen, saepissime, felicissimoque exitu facta est a M. Oziander, Chirurgiae, Anatomiaeque Professore, apud Gottingen; et M. Dupuytren, Chirurgiae Clinicae Professore, apud Hotel Dieu, Parisiis. Duabus tantum aegris, quibus hanc curationem admovit Oziander, morbus post aliquandiu rediit, ut solet Carcinoma aliarum partium. Reliquis autem non reversus est; et in quibusdam quae ex alio morbo mortuae sunt, pars e quâ excisus fuit morbus, ex toto sana, cicatriceque firmâ conjuncta, visa est.

Inter hos professores celeberrimos parum quod ad modum operandi distat. Mulier super lectum transversè collocari debet, sic tamen ut podex marginem ejus paulum pro-

mineat: deinde genua, abdomen versus flexa, ministris duobus sunt tenenda; tertius quoque, manu abdomini admotâ, pressuram facit, ut uterum ad unam pelvis partem quodammodo impellat; denique, cavendum est ne aegrae motus operationem impediant. Ut fiat excisio, necesse est cervicem uteri ad imam vaginam trahere. Ad hoc efficiendum igitur, OZIANDER quatuor filis eam perforare solet, quorum duo a parte anteriore ad posteriorem diriguntur; reliquaque duo a latere dextro ad sinistrum. Filorum insertio autem difficilis est, doloremque movet; loco eorum DUPUYTREN, hamo duplice, (quem Erigne Double vocant,) utitur. Ubi hocmodo cervix tenetur, facile deorsum trahi potest, ferroque excidi. M. O. ferro; M. D. autem, modo ferro, modo forfice utitur: forfex enim, ubi sola excisio non sufficit, magno commodo est.

Haec autem operatio difficilis, et dolorosa est, aegraeque plerumque eandem permittere nolunt, donec morbus tam inveteravit, ut nullum restet tempus sanandi. Es-

charoticis igitur medicamentis, partem delere quidam conati sunt. Magna tamen fuit difficultas, propter situm ejus, erodentia admovendi, sine partium vicinarum laesione. Hoc autem incommodum sustulit, speculum uteri, a M. Recamier, medico, apud Hotel Dieu, Parisiis, ingenioso, inventum. Tubus est metallicus ad pollices quinque longus, formâque coni, cujus altera, eademque minima pars, ad perpendicularem secta, uteri cervicem circundat; altera autem obliquè, ut manu facilè teneri, atque in vaginam inseri possit. Hoc autem melius fieri potest, si instrumentum, cum manubrio, ad angulum obtusum posito, est constructum.

Chirurgo, pluribus speculis, ad vaginae magnitudinem variam adaptatis, opus est. Speculum, antequam in vaginam insinuatur, oleo bene illini debet. Hoc modo, nos certiores facere possumus, de statu uteri cervicis: quinetiam, si modo ex metallo ductili speculum factum est, id, ubi cervix inaequalis est, ad eam accommodare, et medica-

menta admovere, sine ullo partes vicinas laedendi periculo. M. RECAMIER uti solet nitrate hydrargyri, M. DUPUYTREN contra, potassam sinceram suadet: hanc facilius admoveri posse credens.

Quo usus effectusque horum duorum remediorum magis perspicua sint, historias aegrarum duarum, quae his modis curatae fuerunt, quam brevissime hic narrabo.

M. S. aet. 40.—Temperamentum sanguineum est, habitusque corporis bonus: menstrua bene fluunt: quatuordecim liberos peperit, quorum minimus natu jam annos quatuor habet. Partus semper felix fuit, et adhuc bonâ valetudine fruita est. Anno autem 1816, secundoque post partum infantis jam dicti, humor foetidus, et sine ullo menstruorum vitio, e vaginâ fluere coepit. Inter venerem quoque fuit sanguinis exudatio, quae tamen statim post cessavit, neque ullam molestiam, vel mutationem, quod ad voluptates, effecit. Mense Novembris

arcessitur M. Recamier. Aegra nondum dolore affecta est. Uteri cervice per vaginam exploratâ, ab anteriore ejus parte visus est tumor, ad molem ovi, cujus summum molle, atque inaequale fuit. Hunc carcinoma esse dixit. Medicorum convocatorum consilio, quorum in numero fuerunt M. M. Pelletan, Boyer, Dubois, et Dupuytren, eadem fuit sententia, et excisionem suaserunt, spe vitam producendi, potiusquam morbum sanandi. Operationem fecit Dupuytren. Tumor formatus est ex substantiâ molli, fungosâque, et cerebriformi. Excisio effecta est, ut videbatur, ad partem sanam, quamvis paulo magis homogeneam, quam solet esse parenchyma uteri. Post operationem fuit profusio sanguinis parva, quae tamen brevi desiit, aquâ, cum aceto admixtâ, injectâ. Undecimo die post, aegra ad sanitatem restituta fuit, et ad pristinas occupationes rediit.

Mense autem Aprilis 1817, alter tumor, ad molem juglandis, ad partem cervicis posteriorem se ostendit; qui, pari modo, pa-

rique exitu, sublatus fuit. Iterum tamen, mense Maii 1818, incrementa schirrosa, ad partem posteriorem, se ostenderunt. Hoc tempore inventum fuit speculum, adque finem mensis, nitras hydrargyri primum admotus. Speculo in vaginâ insinuato, stylus nitrate hydrargyri sparsus, per eum ad cervicem uteri immissus fuit, posteaque pilae leuconii, ita collocatae sunt, ut partes vicinas, ab injuriâ defenderent. Dolores operatione excitatae leves fuerunt. Injectiones emollientes per diem admotae sunt; adque noctem, neque dolor, neque febris supervenit, et post duos dies, mulier ad occupationem rediit. Octavo die post, parte mortuâ seperatâ, iterum admotus fuit nitras hyd: Nunc autem dolores acutiores effecit, qui per horas tres perstabant. Hoc modo, post applicationes quindecim, ad intervalla octo vel decem dierum iteratas, incrementa ex toto deleta fuerunt. Postea autem, paucis pluribus opus fuit, ad eminentiam tollendam, quae, ad partem anteriorem, se ostendit. Inter curandum, men-

struorum nullum fuit vitium, neque valetudo multum affici videbatur.

L. S. aet. 20.—Temperamentum robustum est: intravit valetudinarium Hotel Dieu, mense Januarii 1819: quatuor liberos peperit. Partus fuit prosperus. Ante carcinomatis accessionem, quod post ultimum partum incepit, jamque per menses viginti duravit, valetudine robustâ fruita est. Sanitas non ex toto rediit, per sex septimanas post ultimum partum: deinde, sanguinis profusio ex utero accedit, quae decem dies duravit, neque tunc menstrua apparuere. Ab eo tempore autem ordinatè fluxere; et in intervallis fuit exudatio alba, primum viscida, deinde puriformis; neque hanc a vitio venereo provenisse pro certo est cognitum. Has comitatae sunt sanguinis profusiones, dolores ad lumbos, molestia ad inguina, coxasque, sensus ponderis in pelve, pruritus perpetuus ad vaginam, et interdum quoque dolores lancinantes ad cervicem uteri, indeque, abdomen versus tendentes. Inter venerem,

neque dolor, neque exudatio sanguinis fuit. Plures medici varia suaserunt remedia, qualia sunt, balnea, injectiones, enemata, iisque similia. Quatuor abhinc mensibus, cervice uteri per vaginam exploratâ, nihil praeter naturam inventum est. Signa autem perstabant, et conii pilulae, per duos menses, adhibitae fuerunt, sine effectu. Tunc demum, tumor ad cervicem uteri se ostendit. Hunc prolapsum esse credentes, pessariam admoverunt, quae dolores acutiores reddidit: igitur post aliquot dies, loco ejus immissa fuit spongia. Dolores iidem manserunt, spongia praeterea impedivit humoris evacuationem, qui brevi, corrupto, foetidoque facto, odorem impatibilem emisit. Iterum igitur ad injectiones aegra confugit. Multis, variisque remediis tandem vexata, ad Hotel Dieu venit, ibique, speculo exploratis partibus, morbi natura vera cognita fuit. Carcinoma, cervice ipsâ quintuplo majus, partem ossis tincae anteriorem occupavit. Color violaceus fuit, adque partem ejus posteriorem, exiguum fuit ulcus. Morbus ita si-

tus esse visus est, ut ex toto tolli posset. Functiones aegrae omnes regulares erant, alvi adstrictione exceptâ.

Feb. 3°. Aegrâ in positurâ jam dictâ, collocatâ, speculum in vaginam immissum fuit, et manifestum reddidit partem affectam. Potassa caustica, per stylum, ad tumorem, per speculum admota fuit, posteaque particulae, quae post eductum speculum, in parietes vaginae agere potuerunt (aquâ tepidâ injectâ) eluebantur. Hâc injectione uti opus est, etsi incommoda est, et non parum curationem producit.

6°. Secunda applicatio medicamenti, neque dolores, neque destillationem movet.

9°. Tertiam applicationem sequitur dolor, vel potius molestiae sensus.

Bibat inf. sem. lini.

10°. Dolor ad regionem lumborum urget.

Utatur balneo tepido.

Habeat decoctum hordei pro potu.

13°. Quarta applicatio eosdem effectus excitat.

16°. Dolor levis, et calor accedunt sine exudatione sanguinis, vel fluore albo.

Utatur balneo, et injectionibus emollientibus.

23°. Quinta applicatio dolores leves quoque facit.

25°. Dolores ventris urgentes, et diarrhoea adsunt.

Injiciantur enemata ex decocto malvae cum tinct. opii.

26°. Hodie apparuere menstrua, et dolores statim desierunt.

28°. Adhuc fluunt menstrua.

Martis 2°.—Sexta applicatio plus doloris excitat, quam ceterae, et medicamentum in partes sanas agisse videtur.

4°. Crusta, ultimâ caustici applicatione effectâ, decidit, partemque sanam et rubram ostendit. Aegra neque dolorem, neque molestiam sentit, postulatque ut domum redeat. Hoc permittitur, ita tamen ut ei praecipiatur, posituram transversam corporis, summamque quietem servare. Haec necessaria sunt, ut impediatur aliqua e vulnere exudatio, quam excitare potest, minima exercitatio.

5°. Abiit. Post aliquot dies rediit, et examinatione factâ, pars exesa, magnâ ex parte, cicatrice firmâ conglutinata videtur. Adhuc perstant exudatio purulenta, et dolor exiguus, quae tamen effici exercitatione videntur. Denique, tertiâ post septimanâ, dolor, et exudatio, ex toto desierunt, ulcusque sanatum fuit.

Mense Aprilis 1820.—Utraque aegra bonâ valetudine fruebatur, neque adhuc, ullum morbi reditum experta est. Eodem tempore aliae curabantur foeminae, carcinomate

affectae, pluresque feliciter. Ubi tumor magnus est, interdum prodest, antequam admotum est exedens medicamentum, partem excidere ferro, ad formam cochlearis, fabricato, quod per idem speculum insinuari potest.

Remedium autem admovere facile est, neque ullum incommodum movet, si modo caveatur, ne nimium ejus, uno tempore adhibeatur : tunc enim oriuntur dolores vehementes, vel etiam peritonitis, quae sublatu difficilia esse possunt.

FINIS.